



Catalogus disert.

1. do. Aug. Ernests
  1. de fide historica.
  2. de difficultibus Novi T. recte interprætandis.
  3. de templo Herodis N.
  4. de vanitate philosophantium eloqua.
  5. de vestigijs lingua hebraica in lingua grecis.
  6. de Theologie historica & dogmatica coniungendæ necessitate.
  7. de libertate iudicandi in causa religione.
  8. de doni linguarum natura ad illustr. 160. XVII.
  9. de operis pastorum ecclæstium et heretorum ad Ep. I. 10.
2. D. J. S. Semler
  10. de liberali doctoris S. I. provincia
  11. M. P. F. Grauer
    11. de ut Christus imago dei innervibilitate, ad 2. Cor. IV. 4. Colos. 1. 15. Hebr. 1. 3.
    12. Spiritus apostolorum Jesu Christi magister arguit mundum ad 1. Thess. 5. 18 - II.
    13. Jesus Christus, quam in contentum est, ad dicti legislator nouus perficit.
  14. F. E. Hieberitz.
    14. de iis qui primicias spiritus accepérunt ad Rom. VIII. 2. 2.
    15. Explicatio capítuli Ad. Paul. ep. ad Rom. 2. Sign. vac. Raumgarten.
    16. de exspectatione ab hominibus in secula non obtinenda.
    17. obit. ad illustrationem N. T. ex predictis.
  15. C. A. Wederlein
    18. de vero usq; atque abusa rationis humanae in rebus divinis.
  7. D. Gottf. Löff.
    19. de doni linguarum indeole
    20. de filio hominis
    21. Sententia iudaorum de messia & de Euro ejus regno.
  8. Franc. Volckmar Reinhard
    22. utrum de audictum de miraculis requiriatur inveniatur naturæ accurate cognitio. q. cunctis sc. Wernsdorff.
    23. de amen liturgico.
    24. iudicium de nonnullis dubitationibus contra rel. Christi.
  10. J. Boni. Koppe
    25. quicq; sit & existens tros Episcopales et quis est Rector 2 Thess. II. 3 - 13.
    11. M. L. C. Locher
      26. Vindicia iustitia diuina in morte Annae ad Etat. I. 1 - II.
    12. F. Andre. Stroth.
      27. de vera ueritate 1. Pet. IV. 3.
    13. D. C. C. Tittmann
      28. Jesus deus in servator in ev. Joann. demonstratur.
    14. D. C. G. Robert.
      29. causa belli Ieronimiti aduersus lana-nas gesti. Resunt multa.
    15. C. D. Pecor.
      30. specimen historie bibliothecorum alexandrinarum.
    16. C. L. Gerling
      31. doctrina de summa atq; altiora Jesu Christi dignitate.

Görlau.  
Nr. 129.  
2.

27.

30

DISSERTATIO THEOLOGICO-CRITICA

DE

VERA LECTIONE  
LOCI DIFFICILIORIS

IIOH. IV. 3.

QVAM

PRAESIDE

VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
**JOANNE LUDOVICO SCHVLZE**

S.S. THEOLOGIAE NEC NON GR. ET OO. LL. PROFES-  
SORE PVBlico ORDINARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE

OMNI PIETATIS CULTV AD CINERES DEVENERANDO

D. XV. OCTOBris A. R. S. dC CLXX

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR

**FRIDERICVS ANDREAS STROTH**

TRIBESEO - POMERANVS.

E NVMERO SENIORVM REGIT SEMINARII,

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOANNIS HENRICI HESSIL

XII

VIRIS  
MAGNIFICIS  
SVMME VENERABILIBVS  
EXCELLENTISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS  
**IOANNI IOACHIMO  
SPALDING**

SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO,  
PRAEPOSITO BEROLINENSI, ET AD AEDES DIVI NICOLAI  
PASTORI PRIMARIO,  
GYMNASII BEROLINENSIS INSPECTORI CET. CET.  
PATRONO, FAVTORI, STVDIORVM  
PROMOTORI MAXIMO,  
COGNATO HONORATISSIMO,

ET

**D.GVIELMO ABRAHAMO  
TELLER**

SUPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO,  
COLONIENSIVM AD SPREAM, HVIVSQVE DIOECSEOS  
PRAEPOSITO,  
AD AEDES S. PETRI PASTORI PRIMARIO,  
DIRECTORI ELEEMOSYNARVM CET. CET.

PATRONO MAXIME VENERANDO,

NEC NON  
SENI MAXIME REVERENDO, CLARISSIMO,  
DOCTISSIMO  
DOMINO  
**M. GODOFREDO SCHVLTZE**  
ECCLESIAE TRIBESORVM PASTORI VIGILAN-  
TISSIMO,  
FAVTORI ATQVE COMPATRI  
OMNI PIETATIS CVLTV SEMPER COLENDΟ,  
COGNATO HONORATISSIMO.

H A S C E  
P A G E L L A S  
S V M M A  
Q V A MAXIME DECET  
O B S E R V A N T I A  
IN DEVOTISSIMI AC GRATISSIMI ANIMI TESSERAM  
D I C A T

**FRIDERICVS ANDREAS STROTH.**



§. I.

Criticae S. studium, ob multorum hominum multa praeiudicia plurimis premitur difficultatibus. Sunt, qui ab vnius literae vel vocis mutatione salutis iacturam pendere existimant, quia singulos huius vel illius lectionis apices a Spiritu S. ortum suum repetere sibi persuadent. Hi vero rei criticae gnaviter imperiti sunt, cum in tanta var. lect. multitudine, vna tantum a Spiritu S. adeoque vera & genuina esse possit. Alii tam inueniunt sentiunt, vt editores N. T. ab omni errandi periculo immunes fuisse putent. Hi fere sunt nostri temporis Whiby : quanquam enim id non explicite affirment, tamen revera sic statuant, dum lectionem receptam vbiique omnino pro vera habent. Sunt vero etiam qui concedant, lectionem receptam non esse vbiique genuinam, posse tamen eam retineri atque defendi, quoniam sensu non officiar, sed faepe meliorem contra fundat : at quaestiones criticae non sunt dogmaticae sed historicas indolis, non enim queritur, num scriptor sacer ita scribere potuerit, si sensus rationem habeas ? sed, num revera ita scripscerit ? Sunt denique, qui rei criticae operam dare penitus recusant, quia hoc literarum genus plurimis premitur difficultatibus. At vero si omnes tanto otii amore tenerentur, sacrarum litterarum cognitioni augendae parum propisceretur. Difficultates criticae sane sat multae sunt ; ob inficiam enim, negligientiam, atque audaciam librariorum veteriorum, etiam quorundam ecclesiae doctorum, contigit, vt hic ibi fere omnes qui supersunt codd. aut etiam versiones, recta careant lectione, interdum ex duabus v. v. l. l. quae-

A 3

vis

vis sat antiquos codd. versi. & Patres pro se pugnantes haberet, imo utraque haud raro bonum fundit sensum, nec semper statim appetet, unde una vel altera enata sit, ita ut iudicatu difficilimum sit, quae nam lectio pro vera & genuina haberi mereatur, nec ne; sed tantum absit, ut nos per hanc difficultatem ab omni disquisitione & diuinatione deterri patiamur, ut potius locis & v. v. l. difficilioribus maximam curam atque attentionem impendamus, praesertim ubi non statim appetet, unde enata sit varietas. Hae autem difficultates magno numero concurrunt in dicto Ioh. IV. 3. cuius veram lectio restituere, omni qua pars est modestia, tentabimus; praesertim autem in inquirenda origine lectionum  $\lambda\nu\epsilon\iota$  &  $\mu\nu\acute{\epsilon}\rho\lambda\sigma\gamma\epsilon\iota$  occupati erimus, prolaturi hunc in finem novam quandam conjecturam, qua posita ortus illarum lectionum facile perspicere possit. Cum autem non a me alienum errare sciām, spero, fore ut quilibet aequus ac in hoc genere versatus iudex eo faciliorē in condonando se praebiturus sit, si minus recta deprehenderit, quo maiores sunt difficultates, cum quibus hac in re pugnandum est.

## §. II.

Haud adeo multa sunt in N. T. loca, quae tam varie in variis codd. versi. & allegationibus Patrum exhibentur, ac noſter. Ingens est, quem ad illum collegerunt WETSTENIUS, MILLIVS aliqui, variantium lect. numerus. Operae pretium est, ut illas statim in limine una cum fontibus indicemus. 1) In cod. WETST. 33. (a) deest  $\pi\tau\varphi\alpha\zeta$ ; II) pro  $\mu\nu\acute{\epsilon}\rho\lambda\sigma\gamma\epsilon\iota$  legit interpres vulgatus  $\lambda\nu\epsilon\iota$ ; & cum illo etiam interpres latinus IRENAEI (b), TERTULLIANVS, (c), ORIGENIS interpres latinus (d), aliqui P. P. latini, quos invenies apud MILLIVM & WETSTENIVM, qui omnes phrasē *qui solvit* utuntur. Erravit autem cum MILLIO WETSTENIUS, dum CYRILLVM alex. (e) quoque pro lectione  $\lambda\nu\epsilon\iota$  allegat, eius enim textus graecus ubique habet  $\mu\nu\acute{\epsilon}\rho\lambda\sigma\gamma\epsilon\iota$ , sed eius interpres lat. *solvit* ex versione latina substituit. (f) Praeterea

- (a) Lincolniens. 2. (b) Adversus haereses Lib. III. c. 16. (al. c. 18.) (c) contra Marcion. Lib. V. c. 16. (d) in Math. Hom. XXXIII. (e) Libr. de recta fide ad reginas, T. V. Part II. p. 94. & 95. edit. AVERETI. Sed occurrit quoque dictum nostrum in libr. de recta fide ad THEODOS. Iipp. p. m. 8. (f) Puto igitur MILLIVM, ex quo haufit forsitan WETST. solam hanc versionem inspexisse. Notavi hunc errorrem, non ut carperem tantos viros de nobis optime meritos, quibus in tanto labore talis error facile accidere poterat, sed quia ad rem nostram facit.

terea in CYRILLO quidem (g) διάγεν occursit, quae vox etiam exstat in Ep. X. 5. LEONIS Papac ad FLAVIANVM, sed puto, CYRILLVM cum ea viceretur non ad nostrum locum respexisse. LUCIFER haber qui deſtruit, fed sicut hoc non pro diversitate, sed tantum pro verſione τε λαος habeo, ita quoque puto, iſtud qui credit & qui non credit, quod in Versione æthiopica deprehenditur, esse verſionem τε ὁμολογει & μη ἐπολογει. Caeterum SOCRATES (h) etiam Codd. antiquos commemorat, qui legerint λαος, de quo poſtea. III) Articulum τον omitunt Codd. WETST. 22. 23. 30. 32. 35. 40. 46. (i) Lection. 3. (k) Verſio copia, Editiones Compl. Plantin. Genav. IV) Ἰησον omittit una cum Articulo verſio Aethiopica, teste MILLIO, (l) & pro eo haber WETST. Cod. 4. (m) κρισιον. V) Vocem modo Χριſτον omittunt WETST. Cod. 13. (n) Syra viraque, & THEODORETUS (o), præterea etiam teste MILLIO Arabicus; VI) totam contra propositiōnēm Χριſτον εν ταχιδι ϑληλυθοτα omittunt A. B. 27. 29. (p) Verſio Vulg. Aethiop. ORIGENES, CYRILLVS (q). VII) Pro participio ἐληλυθεται legunt infinitivum ἐληλυθεν prior Syra, Arabicus & POLYCARPVUS (r). VIII) Perro deficit εν in WETST. Cod. 1. 15. 16. 26. 36. 40. 45. 46. 56. (s) IX) το in Cod. 32. & in edit. Compl. & Plantin. Praeterea MILLIVS etiam notat, cod. Barberini 8, & Versiones vulgata- tam, quee habet hic est Antichrīſtus, X) ὁ deſtit in Vaticano, contra Codd. 6 (t) & 29 (u), legunt ετι. HENR. STEPHANVS & PRICAEVS volunt legere ὁν. XI) Denique pro ἀνηγκαιοτε legunt Codd. WETST. 4. & 5. (x) ανηγκαιοτε, quee varietas leſt. autem valde vſitata eft, in Codd. epiftolam Iohannis. Quis non miretur tantam diſeritatem in unico dicto?

## §. III.

- (g) I. c. p. 94. paulo post allegationem nostri loci. (h) Hist. Eccl. Lib. VII. c. 32. (i) Cod. Rich. Mead, Baroccianus, Rob. Huntingdon, Laudianus 5. Cod. Magdalenenſis collegii, Petavianus 3. Augustanus 6. (k) Cod. aulae Trinitatis Cantabrigiae. (l) Sed huius omissionis tantum obiter nec in serie variantium mentionem facit, ita ut videatur eam non pro V. L. sed pro errore Interpr. æthiop. habuisse. (m) Basiliensis B. X. 20. (n) Colber- tinus 7. n. 2844. (o) Eran. Dial. I. Occurit ibidem infinitivus pro par- ticip. (p) Alexandrinus, Vaticanus, Covelli 4. Genevensis 1. (q) locc. citatt. (r) Epift. ad Philipp. p. 187. edit. Cotol. (s) Reuchlini f. Basiliens. B. VI. 27. Coſlinianus 25. & 26. Covelli 3. Cod. novi collegii, Petavianus 3; Uffenba- chianus 1. Augustanus 6. codd. Medicei. (t) Stephani \*, MILLIVS autem allegat Steph. δ. (u) Genevensis 1. Millius nominat Petav. 2, & alios codd. apud CVERCELLAEVM. (x) Basiliens. & Steph. δ.

## §. III.

Illi iam missis, quae sunt minoris momenti, ordiamur ab ista phrasi  
 $\chiρίσων$  ἐν ταῖς ἑλληνιδοτά, & exponamus rationes in utramque partem, quam fieri potest brevissime. Qui eam tueri volunt, provocant ad codd. complures, ad Versionem syriacam, coptam & arabicam, & ad editiones receptas, in quibus omnibus adest. Sed Codd. in quibus legitur, sunt iuniores illis in quibus omittuntur, nec vim probandi habent, si a criticis rationibus destituantur, quae certe desunt. Syra multis in locis interpolata est, ita ut in eas dubio raro perspicere possit, quid legerit eius interpres? multas enim habet additiones, & saepe inseruae sunt norae marginales. (y) Arabica admodum recens est (z), eamque tales additiones aetate longe superant; copia similiter multas additiones admisit; nec harum versionum suffragium aliquid valer sine rationibus aliis criticis, iis vero etiam opponi possunt aliae versiones; ut latina & aethiopica. Minime autem omnium hoc pertinet textus recepti auctoritas, inter omnes enim convenit, praescriptionem in re critica locum non habere, nec, si a Codd. ex quibus facta sunt, & quorum plerique sigillatim a WETSTENIO & MILLIO allegantur, abstrahamus, ex iis aliquid probari posse, nisi iudicium editoris. (aa)

Quae vero, aduersus hanc phrasin sunt rationes, maximi sane ponderis sunt. Deest enim, vii iam diximus (§. 2.) in Cod. alex. & vatic, qui sunt antiquissimi, & in aliis Codd., deest in versione vulgata & aethiopica, nec habent eam ORIGENES, CYRILLVS ac SOCRATES. Praeterea nullus Canon criticus contradicit, si abest, multae potius rationes criticæ eam abesse iubent. Primum enim notandum est, quod pauci ignorant, librarios non tam pronos ad detrahendum, quam ad addendum fuisse, volebant enim semper codices suos quam maxime completos reddere, hinc non solum notas marginales inferebant (bb), sed & illustrationes, phrases que

(y) v. c. Luc. XXIV. 1. cum aliis addit  $\kappa\gamma\tau\epsilon\pi\tau\sigma\tau\alpha$  quod omittendum erat secundum sententiam criticorum quorundam. Sic cap. XVII. totum v. 36. addit multaque connectendi formulas, ut c. XV. II. (z) Eam autem innuimus quae in Polygl. Parisi. & ROB. WALTON. exstat, & Sec. X. facta creditur. Vid. MILLIVS Proleg. p. m. 136. (aa) TERTULLIANVS quidem haec habet, contra Marc. Lib. V. c. 16. Sed non satis liquet, anne respxerit ad 2 Ioh. 7. Praeterea cum extra contextum verba ista allegaverit, non bene iis carere poterat. (bb) Vid. S. V. ERNESTI inst. interpr. N. T. P. II. c. VI. §. 6-8. p. 138. S. V. SEMLERI herm. Vorber. 3. St. Iste Abth. p. 20. Eiusd. edit. Libell. WETSTEN. p. 63 seqq.

que ex aliis locis: interdum etiam possessores Codicum, secundum ingenium suum, libros suos perfectiores reddere volebant, inscribentes loca allegata ex V. T. aut etiam similia ex N. T. In primis familiare erat illis, inferre ubique nomina Ἰησος, Χριστος, αυγος, Θεος, saepe vbi unicum horum adfuit, omnia posuerunt. (cc) Recte itaque praecipiunt, qui codicibus omittentibus, si dubio locus fuerit, plus auctoritatis tribuunt, quam addentibus; in quo consentit WETST. can. IX. Nec illa aderat ratio omitendi hanc phrasin, confitlo enim non omiserunt aliquid, nisi cum videbatur illis locutio quedam suspecta, & haereticis favens; sed istud de hac nullo modo valet. Omissiones vero ex negligentia ortae paucorum sunt, plerunque etiam unicam tantum vocem concernunt. Ex altera vero parte pro more ipsorum inserendi ratio aderat, tum quia ἐμολογην in commare praecedente, tum quia in loco parallelo 2 Ioh. 7. extabat, hinc addere volebant illud, aut quod omissum putabant (dd) aut quod ad illustrationem adesse illis necessarium videbatur. (ee) Praeterea autem iam illa ipsa varietas in hac phrasin, dum modo χριστος omittitur, modo pro ἀληθορα legitur ἀληθεντας, (§. 2.); eam suspectam reddit. Plerunque enim hoc indicium est, nullum absufle verbum, dum unus hoc, alter aliud ponit, cuius rei exempla occurrunt haud raro. (ff) His ita perponderatis, omnino hanc propositionem ab avthentico Iohannis absufle puto, quam sententiam etiam nobiscum fert MILLIVS. (gg) BENGELIVS tamen, qui in dendo saepe plus iusto religiosus est, minus firmam omitendi hoc loco ra-

B

tio-

(cc) Huius rei exempla in singulis fere MILLII, WETSTENIQUE N. T. paginis invenies. Nominaliter sufficiat Eph. II. 20. (dd) Sic ut I Cor. I. 15. vocem βαπτιζω, secundum quosdam. (ee) v. c. Rom. VIII. 1 Ioh. X. 8. ibi enim illustrandi causa addidisse videntur totam locutionem μη πατει συγκα η. τ. λ. hic ποιησε. (ff) v. c. Ioh. I. 18. θεος & ιησος. I Cor. I. 15. διατριπα, διατριψη, διατριψη, βαπτισμα. Marc. XI. 2. δύση, δύση, παποτε. Luc. VI. 10. δι de λαογρα οτα, δι de λεγεται, μη διετελει. Act. XX. 28. ιησ., κυριος, χριστος. Immo innumera huius generis exempla hic ibi obvia sunt. Vid. S. V. SEMLERI Libell. WETSTEN. p. 78. & alibi. (gg) Proleg. p. m. CXLV. al. 1357. Sibi ipse autem hac in re contradicit. Loco enim cit. dicit, hanc propositionem videli ex versiculo praecedente traductam, sed p. m. LXXXIX. & CXL. non solum afferit, lectionem receptam, (praecipue ob testimonium POLYCARPI) genuinam esse, sed etiam p. XXXIII. al. 286. θηλωθεντα rectius se habere putat quam ἀληθορα, ob eiusdem POLYCARPI testimonium. Hoc innuere videntur WETSTENIVS, qui in not. ad h. l. dicit, MILLIVM perperam ad hoc comma referre, quod ad praecedens 2 pertinebat.

tionem adesse dicit (hh), sed hac in re sibi ipse non satis constat, viptore qui alias consentum cod. Alex. & Vulgatae pro-tuto criterio genuinae lectionis habet. (ii) Testimonium POLYCARPI, qui hac phrasim vixit, admodum incertum est. Dubitatur enim, sintne ipsius verba, an allegatio verborum Iohannis? Saltem admodum vage loquitur: sed de illo dicendi quaedam aptior facultas nobis postea erit. Simili modo vocem Ιωαννου, quae teste BENGELIO non solum in Aethiopica, sed etiam in aliis Codd., secundum annotationes ERASMI deest, additamentum esse puto, quod deinceps exposta demum nostra hypothesi clarius patet. (kk) Idem vero etiam de articulo (τον) statuendum esse puto, nulla enim aderat ratio cum omittendi, tamen hicce articulus in multis codd. in copta, & in POLYCARPO abest; de IRENAEO & ORIGENE non liquet, quia eorum interpp. latini quoad locum nostrum tantum supersunt. BENGELIVS (ll) in eadem fere est sententia, qui hanc lectionem sine articulo, pro tali habet, quae per Codd. firmior quidem sit, non plane tamen certa.

## §. IV.

Priusquam ad id progrediar, in quo haec praecipue versatur tractatio, paucis ea complector, quae ad reliquias huius loci lectiones pertinent. Quod ad omissionem vocis πνευμα attinet (mm), ego quidem aliquid de ea decernere nec cupio, nec audeo, nondum enim rationes tollendi eam perficio, tamen praefacte non resisterem, si quis additam eam putaret. Caeterum eiusdem generis exemplum Ioh. XV. 2. exstat, vbi ad τον nullum adponitur substantivum nomen, quod ex praecedente oratione subintelligendum est, sicut in nostro quoque loco fieri possit. Ez, quod in multis codd. abest (§. 2.) additum esse potest, quia commat. 2. exstabat; omnissum, quia antea legebatur ἐν τοτῳ γνωστητε ΤΟ ΙΝΕΤΜΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ. Articulum το vero, qui hic ibi abest (vid. §. 2.) iure adesse censeo: similis constructio est ac i Cor. II. 14. forsan etiam πνευμα per ellipsis abest. Eadem mili sententia est de isto ē posteriori. Quod denique ad receptam lectionem αναποτελεσθαι attinet,

eam

(hh) Appar. Crit. p. 928. edit. BVRCKII, quae 1763. prodit. (ii) Appar. Crit. p. 65. Obs. XXXI. (kk) Qui plura de talibus additamentis scire cupit, adent WETST. can. IX. & X. & illustrationem, quam tam ipse, quam S. V. SEMLERVS adiecit. (ll) Lib. cit. p. 929. (mm) Quam BENGELIVS non notavit in suo Appar. Crit. cum tamen alias, imo in praece. communate var. lect. cod. Lincolniensis, in quo haec vox omittitur, adduxerit.

eam alteri *ανηγορεύειν* praferendam esse existimo. Sed haec breviter attin-  
gere visum est, cum ad graviora properandum sit.

## §. V.

Longe plures difficultates comitantur receptam lectionem *μη ἐπολογεῖν*,  
vel ut alii maluerunt *λύειν*. Vtiusque lectionis tanta est varietas, vt in  
primam eius originem inquirere operae sit pretium. Priusquam autem  
me ad ipsam disquisitionem acingam, breviter quid viri eruditissimi, tam  
antiquiores, quam recentiores de hac varietate iudicaverint, recensabo.  
*SOCRATES* (nn) diserte perhibet, in antiquis exemplis lectum fuisse *λύειν*,  
sed hunc sensum erasisse eos qui deitatem ab humanitate separare vellent.  
Idem statuit *EVLBERTVS Carnotensis*. & *HINCMARVS*: sed hic posterior ex-  
punctionem hanc simul inepit illustrat, dum adicit: „Sicut confat, Ari-  
„nos de evangelio erasisse, quod Salvator ait; quia Deus spiritus est (oo),  
„quoniam credere nobebant, quod Spiritus S. Deus esset omnipotens.”  
*STEPHANVS LE MOINE* (pp), quem adducit *THOM. ITTIGIVS* (qq),  
non alienus videtur ab eorum sententia, qui statuunt, Patres secundi seculi  
vt Gnosticos Iesum a Christo divellentes fortius stringerent, Iohanne-  
um textum interpolasse; postea tamen addit, se existimare, interpolationem  
illam casu potius quam pravo consilio factam, & ex *λέπυθοτά* factum  
*λέπυθοτά*. (†) *EVDBEVIS* (rr) lectionem receptam veram esse, istam vero a  
Nestorianis factam corruptionem sine fundamento adseri, iudicat. *DEX-  
LINGIVS* (ss), receptam lectionem tueri vult, & quidem praecipue ob  
testimonium *POLYCARPI*; de oru illius lectionis plures profert coniectu-  
ras, in quibus est etiam illa *STEPH. LE MOINE*; „porro, suspiciati sunt  
„inquit, erudit, vtrumque forte scripsisse Iohannem, & priore quidem  
„loco id, quod habent gracci codd.; posteriore autem ὁ λύει τεῦ λύει:

B 2

„Su-

(nn) Hist. eccl. L. VII. c. 32. (oo) Joh. III. 6. Duo hic notari merentur:  
I. videre licet ineptum interpretandi atque concludendi modum quorundam  
P. P. nam si etiam demus hanc propositionem adesse, (quae tamen ob contextum  
adesse nequit,) quanam quoero ratione ex ea probari potest Spiritus S. di-  
vinitas? 2. hanc legem fancire possumus; plerumque, vbi haereticis omissiones  
imputantur, orthodoxi additionis accusandae sunt. (pp) In not. & observ. ad  
var. sacra, p. 406. (qq) In Diff. de haeresarch. aevi apostolici. Sect. II.  
c. X. p. 136. ipse tamen rem in suspenso reliquit. (†) Pro *λέπυθοτά* tamen legi  
oportet *λύειται*. (rr) In Inst. Theol. dogm. Lib. IV. c. II. §. 44. p. 880.  
(ss) In Observ. S. P. III. Obs. XLV. p. 447. seqq. Qui tamen cum *MILLIO*  
errat, dum *CYRILLVM* pro lectione *λύει* adducit.

„Suspicionem auget, quod utrumque protulerint AVGUSTINVS, TER-  
”TVLLIANVS, & FVLGENTIVS.“ Ad ESTIVM denique provocat.  
Tandem omnino probabile esse dicit, studiosum aliquem ex odio illius ha-  
refoes, (Cerinthianae & Ebionitarum) adposuisse ad marginem libri λυε  
τον Ἰησού, tanquam interpretationem propositionis antecedentis, quod scri-  
bae deinceps in textum intulerint. Nec aliter sentit MILLIVS (ii), qui  
POLYCARPI testimonio fretus, λυε pro glossa marginali haberi vult.  
BENGELIVS (uu) porro lectionem λυε non probandam dicit, quamuis  
a nonnullis probetur. Vir Summe Ven. SEMLERVS (xx) observat, λυε  
esse forsan glossam TERTVLLIANI & λυε τον Ἰησού non esse graecam  
phrasin. Summe Ven. denique ERNESTI (yy) iudicat, textum graecum nihil  
habere, vnde latina lectio nasci potuerit, deinde lectionem λυε esse sensu  
bonam, denique conjecturam proponit de duplice editione ἀντοργαφων.  
Hae sunt fere potissimae eruditorum de hac lectionis varietate, sententiae.

## §. VI.

Vtriusque lectionis examen nunc instituamus, secuturi ordinem quem  
praescripsit idem S. V. ERNESTI (zz), ita scilicet, ut primum in antiquitatem  
harum lectionum, deinde in bonitatem, denique in veritatem earum in-  
quiramus. Optime enim monuit Vir S. V. nullam lectionem veram esse  
posse, quae non sit eadem antiqua & bona, sed non contra, omnem anti-  
quam aut bonam statim etiam veram esse. Sed adiiciamus quasi in li-  
mione huius disquisitionis, antiquitatem non semper ex rationibus exter-  
nis, (sic appello testimonia Codicum, versionum, & Patrum) cognosci posse,  
sed rationes quoque internas, quae e contextu, e modo scribendi scri-  
ptoris, ex aliis denique circumstantiis, v. c. e similitudine litterarum,  
& compendiorum scribendi &c. desumendae sint, surrogandas esse. Hoc  
neminem negaturum esse spero, qui ἀντοργαφων dudum ante omnia quae  
supersunt lectionis testimonia, perisse, lectionisque varietatem iam primis  
temporibus invaluisse, non nescit. Quo minor enim erat exemplorum  
scriptorum Γεωργεων numerus, eo facilius error scribendi, si quidam ir-  
reperit, latius diffundi poterat. Sumamus casum, cuius possibiliterat,  
forte

(ii) Prol. p. LXXXIX. CII. CXL. & in h.l. (uu) App. crit. p. 92S. coll. p. 86.

(xx) Append. ad Proleg. WETSTEN. p. 590. & 591. (yy) Instit. interpr.

N. T. P. II. c. II. §. 17. p. 102. & 103. (zz) Lib. cit. P. II. c. VI. §. 22.

feqq. p. 143.

forte etiam existentiam, nemo negare potest; ponamus, ἀπογεγραπτον quod-dam bis descriptum fuisse, in utrumque autem ἀπογεγραπτον hic ibi scribendi errorum ab hominibus non alienum, irrepsisse, reliqua porro ἀπογεγραπτον secundum unum horum tantum facta esset, atque ἀπογεγραπτον ipsum cum altero ἀπογεγραπτον satis cito (forte occasione excidii Hierosolymorum, aut persecutionis a Nerone institutae) periisse, nonne hinc scribendi errores, in illo obvii, in omnes caeteros seriores deferri debebant? Posito hoc, antiquitas lectionis etiam e conjectura rationibus criticis suffulta, interdum peri potest. Observationem hanc non inutilem esse putavi statim in limine adiudicare, ad dubia eo melius refellenda, quae alias rationes antiquitatis contra nostram conjecturam moveri possent.

## §. VII.

Tota res facile confici posset, si demonstrare possemus, alterutram harum lectionum alteri antiquitate praevalere, sed quantum in re difficulter iudicare possumus, utraque fere aequa antiqua est. Lectionem enim μη χρονογραφησαι vetustam esse suffragio omnium codicum superstitionis, quotquot inspecti sunt, & versionum antiquiorum efficitur; confirmatur quoque allegationibus TERTULLIANI & CYRILLI. Immo, uti ex SOCRATE patere videatur, etiam NESTORIVS ita legit. (a) Nihil itaque obstat, quo minus lectionem μη χρονογραφησαι antiquitatis nomine satis commendabilem esse statuamus. Lectionis autem λειψει eadem fere est antiquitas. Quanquam enim in nullo Codicium exsistat, legitur tamen in IRENAEO, qui TERTULLIANVM aetate superat, adeoque etiam sec. II. iam valuit. Haud necio quidem, Interpretem latinum IRENAEI tantum, qua allegationem nostri loci supereesse, sed hoc antiquitati lectionis nil officit; IRENAEVIS enim ipse libros suos aduersus Haereses circa A. C. CLXX. scripsisse, & interpres eius anonymous, versionem illorum, vel ipso adhuc vivo, vel paulo post obitum eius concinnasse dicitur; de quo conf. MILLIVS (b). In latinis interpres id unum pricipue egit, ut scripturae testimonia exprimeret verbis iis, quae Celsi suis, totique occidenti iam in usu erat, Italicae sive Vulgatae. Vnde factum, ut paucis in locis, nec nisi e contextu orationis, satis certo adsequi possis, quaenam fuerit codi-

B 3

cis

(a) POLYCARPVUM pro antiquitate allegare nolui, quia suspectam habeo eius epistolam, de qua infra plura dicentur. (b) Prol. p. XL. & LVIII.

cis irenaeani lectio. Cum **MILLIO** consentit b. c. e. **MICHAELIS.** (c) Ad haec autem S. V. **SEMLERVS.** (d) „Non satis certa sunt, inquit, quae **MILLIVS** praecepit, interpretari neglecto graeco textu, addidisse i; versionem quae Itala appellabatur, neque enim isto iam tempore vna quae-dam omnium valebat & regnabat latina versio, alia in Africa, salia in Europa, nec hic una occurrit. Hinc, si vel maxime interpres ita rem suam peregrisset, quod non video unde constet, antiquissimorum tamen Codicium lectiones, in ista versione extabunt.“ Et haec quidem sufficere ad asserendam antiquitatem lectionis **λαει**, sed pro ea etiam pugnat **TERTULLIANVS**, qui utramque lectionem coniungit; sine dubio igitur invenit eam in antiquissima latina versione, ex qua hausit. Similiter & **ORIGENES** (e) ita legit, quod e toto contextu pater, quanquam hoc loco superfit tantum interpres eius latinus. Luculenter quoque affirmit Socrates; ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ λογού γέρεστο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντίγραφοις, ὅτι πάντα πνευματικά λαει κ. τ. λ. His in utramque partem collatis testimoniosis, dici vix potest, quenaam harum lectionum alteri antiquitate praeyaleat?

### §. VIII.

Videamus igitur, num forte alterutra harum lectionum alteri bonitate praefert? De bonitate autem, ut ita dicam, dogmarica, scilicet sensus, non vero grammatica, nobis hic sermo est. Lectionem μη δυσχειρόν bonum fundere sensum nemo negare potest, qui attenderit ad antithesim satis manifestam inter haec verba, & praecedens comma, simulque ad convenientiam illorum cum loco parallelo 2 Ioh. 7. Ominino haec verba ita intelligenda sunt, ut in nostris editionibus exstant, quanquam non ita scripta sint. Sed lectio quoque **λαει**, modo grammaticice recta sit, bonum fundere potest sensum. Sive enim latine defrui aut abolare, reddatur, ut **LVCIFER** fecit, bene se habet sensus ob usum loquendi apud **IOHANNEM**, qui saepius voce **λαει** in hoc significatus vixit. v. gr. Ioh. II, 19, c. V. 18. VII. 23. X. 35. 1 Ioh. III. 8. siue respectus foret ad tales homines,

(c) *Trauct. crit. de var. lect. N. T. §. 14. p. 21.* (d) *Proleg. WETSTEN. p. 175.*

(e) In Matth. Hom. XXXIII. p. m. 883. De peregrinatione Christi loquens **ORIGENES**, atque affirmans, eum tantum secundum humanitatem peregrinari. Hac, inquit, dicens non solivimus suscepit corporis hominem, cum sit scriptum apud **JOHANNEM**, *Omnis spiritus qui solvit Iesum, non est ex Deo.*

nes, qui dictis factisque totum Christianismum destruerent: siue *solvere* aut potius *dissolvere* reddatur, tunc etiam bonus esset sensus, ob respectum horum verborum ad Docetas aliosque haereticos iam tunc existentes, qui Iesum a Christo separabant, eiusque personam ita solvebant. Hac via itaque nihil de veritate alterutrius lectionis decerni potest.

## §. IX.

Veritas harum lectionum iudicanda est partim e libris, partim ex observationibus grammaticis, viam monstrante S. V. ERNESTI (f) Quod ad rationes e libris desumptas attinet, earum mentio iam facta est in antecedentibus. Ita enim concludunt, qui lectionem *μη ὄμολογει* tueri cipiunt, quaecunque lectio existat in omnibus Codd. Msc., haec tenus collatis, cui sicut antiquiores versiones, ut *syra*, *copta*, *arabica*, quamque habent antiqui P. P. VI POLYCARPV, CYRILLV & TERTULLIANVS, illa est vera. Hae autem rationes non sufficient, vii postea demonstrabitur, similes quoque pro altera lectione allegari possunt, addamus itaque ex observationibus grammaticis argumenta pro veritate lectionis *μη ὄμολογει* pugnantia. Primum nominari meretur argumentum, quo usus est ERASMVS & cum illo ITTIGIVS (g), quo teste etiam alii interpretes, in quibus EPISCOPIVS, eo vii sunt; quodque in eo consistit, ipsam antithesin, IOHANNI perquam familiarem, hanc lectionem requirere. Ad hoc argumentum, cui responder WETSTENII Canon IX, accedit conjectura, lectionem *λαει* esse notam marginalem contra haereticos factam, posteaque textui illata, quae in locum genuinae lectionis *μη ὄμολογει* succederit.

## §. X.

Sed silentio praeterire non possumus ea, quae contra haec argumenta totamque adeo lectionem regeri possunt. Primum, quod ad Codices attinet, monendum est, quod nemo huius rei peritus ignorat, omnes Codd. esse maxima lect. var. parte iuniores: seculo enim II. iam magnus var lect. numerus obtinuit, plures ortae sunt deinde sec. III. & IV, cum in variis provinciis vario modo legere cooperint, aliter in Aegypto, ali-

ter

(f) Inst. interp. N. T. P. II. c. VI. §. 24. p. 142. (g) De haeresiarch. aev. apost. p. 186. ERASMVS sylvam locorum adiecit, in quibus tales antitheses occurunt.

ter in Palaestina , aliter in Graecia , aliterque in Italia & Africa . Suce-  
cessu autem temporis factum est , vt istae lectiones in hac vel illa regio-  
ne receptas foliae haberentur , nec describerentur amplius lectiones (inter-  
dum verusiores & genuinæ) quae a lectione , quam dicunt ecclesiastici-  
cam , dissonabant ; & si interdum codex quidam ex una provincia ad al-  
teram pervenit , mutatus est ita , vt congrueret lectioni ecclesiasticae huius  
provinciae . Nullus autem Codicum , quos novimus , seculum V. superar.  
Quomodo igitur credibile est , eos ubique tenere verutissimam & genui-  
nam lectionem ? descripti enim sunt ita , utrum temporis cum describe-  
rentur , in illa regione vbi componebantur , lectum est . Accedit , sequen-  
tibus temporibus multis Codd. secundum plures fuisse compositos , ita ut  
nunc huius , nunc alterius lectionem pro suo ingenio ponerent librarii &  
editores . Si porro ea afflumamus , quae sub finem §. 6. dicta sunt , non  
mirum videri potest , fere omnes Codd. superstites collatos hic ibi destituti  
genuina & authentica lectione , que tamen forsitan adhuc superefta potest  
in aliis codicibus , quos nondum vidimus . Imo dantur loca dubia quo-  
rum vera & genuina lectio vix in vlo , aut tantum in vnico , codice ex-  
stat . Quaedam dabimus exempla . Matth. I. 19. legunt omnes Codd.  
*παραδειγμάτου* , vnicus cod. I. f. Bafiliensis B. VI. 27. veram lectionem  
tenet , scil. simplex illud verbum *δερψατος* , quod & ORIGENES &  
EVSEBIVS agnoverunt , ut in scholio Codd. 34. 39. 41. notatur ; nec  
villam MILLIVS lectionis varietatem hic observavit . Sic Marc. XIV. 25.  
plurimi Codd. minus recte legunt , folius *Cantabrigiensis* , seu D. habet  
8 μη προθω πιεν , quae lectio hebraizans , sine dubio vera est . Sic  
cap. XV. 34. plurimi habent , με ἐγκυτελπεις , vnicus D. habet ὀνειδ-  
οις με ; sic quoque I Cor. I. 15. verbum βαπτίζεν , ut quidam volunt,  
abesse debet , in omnibus tamen Codicibus legitur , quanquam mutato  
tempore , persona , numero & coniugatione . Haec sufficient ad infringendū  
illud argumentum , quod a multitudine Codicum defumitur .

## §. XI.

Idem fere de Versionibus dici potest : varietas enim lectionum iam fuit ,  
antequam factae sint *Copta* , *Armena* , *Aethiopica* , & *Arabicae* ; forsitan  
etiam ante *Syram* (h) & *Italam* . Sunt autem fere omnes hic ibi interpo-  
latae .

(h) Quae secundum GLOCESTR. RIDLEY Sec. II. composita est , dissentit WETSTE-  
NIVS

latae. De *Syra* exempla collegit WETSTENIUS (i), & luculentissima S. V. SEMLERVS. (k) Et quanquam hoc non omnino concedere velit c. B. MICHAELIS (1), tamen id nobis dat, eam factam esse secundum Codicem hic ibi interpolatum, quod hiforia de adulera Ioh. VIII. loquitur: de aethiopica autem ipse MICHAELIS l. c. illud concessit; quam vero filiam coptae esse non admittit. Praeterea exstant loca, vbi non solum una aut altera Verio, sed omnes additamentis learent, adeoque genuina lectioine carent. Nominasse sufficiat Luc. VI. 10. (m) & Marc. XIV. 25. Et in nostro quidem loco antiquissima Itala reliquis contrariatur, vt pote quae legit λαει: quenam igitur iam sequenda est, antiquior, an feriores? Sed progrediamur ad reliqua argumenta e libris defumta. Ad POLYCARPI testimonium quod attinet, paulo fasius ad illud respondendum viderut, quia tot viri eruditissimi, vt MILLIVS, DEYLINGIVS, ITTICIVS & alii eo nixi sunt. Primum quidem ἀνθετικα illius mihi valde suspecta est, quia id commune erat sequiori aevo, componere libros, & vt illis auctoritas quedam concilietur, adscribere eos viro cuidam apostolico, sicuti adscripta sunt DIONYSIO Areopagita, CLEMENTI Romano, aliisque viris apostolicis multa scripta supposita; saltem non perspicio rationem, quae mihi persuadeat, eam pro genuina habere. Adeo quidem IRENAEI testimonium de illa (n), sed non nego, vñquam extitisse epistolam POLYCARPI, de eo nunc quaeftio est, num haec sit, quae nostris iam teritur manib⁹? Paulus etiam epistolam ad Laodiceanos commemorat, & tamen Φευδεπηγασον scriptum est quod sub eo nomine

C

cir-

NIVS cum aliis. Certe vix credi potest, eam iam Sec. I. ab apostolo THADDEO aut Evangelista MARCO factam esse; actio sua, vt ego quidem credo, Italiam non attingit. LA CROZE Armeniam huic & antiquitate & bonitate præferre vult, Thefaur. epist. Tom. III. ad WHISTONVM, p. 262. sed nimio amore in Armenicas litteras abrepitus, vti iudicat S. V. SEMLERVS. c. B. MICHAELIS putat eam antiquitate vel nil, vel parum cedere Latinorum vulgariter, Tract. crit. §. 23. p. 30. (i) Prol. p. 291. (k) Lib. WETST. p/81. (1) l. c. p. 31. (m) Vbi *Vulgata*, vñaque *Syra*, copia, aethiopica, armena, arabica, persica & gothica legunt και ἔστενει, contra omnes fere codd. græci legunt ὁ δὲ ἐπονεῖ ἔτω, alii adhuc alter. Haec autem varietas ostendit, nullum verbum hic adiunisse. (n) Advers. Haer. Lib. III. c. 3. Similis locus extat apud EVSEB. hist. eccl. Lib. IV. c. 14. ἐσι δι και ἐπισοδη πολυκαπη προς φιλοποιο γεγαμενην οικουμενη, εξ ηη ποι τοι ζερεντη της πιενοι αυτε, και το πηγημη της οληθιας, δι βαλομενη, και φροντιζοντες της έκπτωσι συνηγια, δινεται μισθισ.

circumfertur. Sed si etiam omnia dare vellem, tamen ex hac epistola nihil quoad voces nostri loci probari potest: alias enim dicendum fore, totum dictum ita legendum esse, ut in POLYCARPO existat. Id enim in aprico positum est, eum tam vage allegasse locum nostrum, ut fere eodem iure allegatio loci 2 Ioh. 7. dici possit: nam pro παν πνευμα habet τοις, addit ἀν, legit ἐμολογει προ ἐμολογει, ἐλπιζεναι προ ἐλπιζεται, immo addit totam propositionem Χριστον εν σαρκι ελπιζεται, quam ramen abesse debere supra (§. 3.) evictum dedimus; omittit porro εν τε Θεος εστι, denique pro και τετο εστι το τε αντιχειστε ponit αντιχειστος εστι. Nec sine verbo ἐμολογει allegari poterat dictum nostrum extra nexus: in nexus cum praecedentibus abesse hoc quidem & subintelligi poterat, & debebat, (§. 8.) sed extra nexus non item. Exemplum addam; si quis Patrum; dictum Ioh. XIII. 9. extra nexus allegasset, omnino sic allegare debuisse, μη τες ποδες μη μονον υπην. κ. τ. λ. alias intelligi non poterat, ex hoc autem non sequeretur, υπην in textu expressum suisse, quod in contextu subintelligi potest. De CYRILLO breviter tantum moneamus, partim eius testimonium, vt Patris Sec. V. pro vera lectione, non magni faciendum esse, saltem non tanti, vi ORIGENI & IRENAEO praevalere possit, partim autem, non constare, annon verbum ἐμολογει ab ipso perspicuitatis causa adpositum sit. Denique Patrum scripta saepissime ad formulas postea visitatas mutata esse novimus. (o) Haec omnia etiam de reliquis Patribus, qua maximam partem latinis, qui hac phrasi μη ἐμολογει vivuntur, dici possunt,

### §. XII.

Accedamus ad argumenta, que ex observationibus, vt ita dicam, grammaticis desumpta sunt. Et fatendum quidem est, haud levem praeferre speciem ERASMI argumentum, cuius supra (§. 9.) mentionem fecimus. At tanta non est eius vis, vt contra maximas in contrarium rationes evincere posset, IOHANNEM μη ἐμολογει scripsisse. Praeterea nihil fere eo contra nos efficitur, nam anthithesis etiam adebet, et si minus aperta, si λυει ponatur; immo quis anthithesis non videt, si ἐμολογει plane abest, sed subintelligitur? Minus autem adhuc probatur coniectura ista, qua statunt, λυει esse notam marginalem contra haereticos adpositam. Librarium enim plurimi tam religiosi erant, vt haud facile quod in textu scriptum

(o) Cuius rei confirmationem invenire poteris in WETSTEN. Libell. p. 71. seqq.

ptum erat omitterent: hinc, si glossa marginalis aderat, eam quidem saepe interferebant, sed loco eius non omittebant quod in Texu scriptum erat, textum potius & notam coniungebant. Sic fecerunt saepissime, ut Marc. XII. 23. & Luc. II. 6. (p) Qui igitur factum, ut μη ἐμολογεῖ plane exciderit ex isto Codice, quo vius est Interpres latinus, ORIGENES & alii? Quam autem TERTULLIANVS ambas coniungit lectiones, vel sponte hoc fecit, vel ex duplice recensione. Et si vel maxime demus, λατεῖ esse talem glossam marginalem, exinde tamen non statim sequitur, μη ἐμολογεῖ esse veram lectionem. Sequeretur illud, nisi tertium detur: hoc autem dari postea indicabimus.

## §. XIII.

Sed aliae sunt rationes, quae lectionem μη ἐμολογεῖ maxime suspetam reddunt. Si illa pro vera & genuina assuncretur, nullo modo perspicere potest, unde enatum sit λατεῖ? Quaedam enim semper in textu rationes adesse debent, unde varietas exoriri arque iam exorta cognosci potest; sive librarius per similitudinem litterarum alter scriperit, sive propter convenientiam idearum vocibus subiectarum eo perductus sit. Contra, si lectio A, ex lectione B. oriri non potuit, lectio B. quoque non pro genuina haberi potest, sed potius vel A. est authentica, vel si ex ea ortus τρίτη B. quoque comprehendendi nequit, tercia quaedam ut communis stirps assumenda est, ex qua ortus τρίτου A. & B. concipi potest. (q) Dum id igitur tute supponitur, neminem sine ratione quicquam mutasse, haec ratio aut in initia & negligentia, aut in consilio Librariorum querenda est. Atque nec per inscitiam & negligentiam, nec consilio lectio λατεῖ ex μη ἐμολογεῖ, oriri potuit: non priori modo, quis enim μη ἐμολογεῖ & λατεῖ ex negligentia commutabat? nulla adest similitudo, praeterea extabat v. 2. ἐρᾶσθαι, quod facile librario offendere potuisse, etiam hic ἐρᾶσθαι legendum esse, si re vera existisset. (r) Neque consilio facta esse potest C 2 haecce

(p) Hoc loco Cantabrigiensis legit: γενετὸς δὲ ἐν τῷ οὐρανῷ ὀντες εἰσὶ τὸ λαθάνων, (εἰς δὲ παρεγενετὸν ἐπεκάθισταν) διὰ θύματος. (q) Optime monet BENGELIVS, Introd. in Crisim N. T. §. XXI. Vide utra lectio sit prae altera explicabilis? tum quare tecum, utra lectio potius orta sit ex altera? consiliumque, an casu, ei ortum dederit? vbi una tantum lectio est explicabilis, altera coeco casu orta postponedni debet: vbi vracula aque est explicabilis, ea praferenda est, ex qua priori Librarii in alteram lapsus fuit; &c. (r) Diligentissimus c. B. MICHAELIS

haecce mutatio : quis enim faciliorem lectionem in difficultiore transmutaret ? potius contrarium semper factum esse, innumeris exemplis probari posset, quod nemo rei peritus negabit : Pauca ex his sufficient. (s) Matth. XXI. 7. ἀντων γενιτ. ultimum, quidam mutarunt in ἀντων ali in ἀντωτε, quia absurdum esse putabant, Christum infidilem virum. Ioh. III. 25. singularem Iudeam commutarunt cum plurali Ἰudeαν, quia non dictum erat, quisnam ille Iudeus sit; 2 Ioh. 7. iterum sing. ἔτοι in plurali ἔτοι, ut respectus fiat ad της πόλεως πλάνες, & non ad Christum. Sed id quoque, ut ego quidem puto, quilibet facile dabit, lectionem λαεν esse difficultiore altera μη ὄμοιογενεί. Putant quidem, λαεν infertum esse ad repellendos Docetas, aliosque haereticos; sed de ipsis Scriptoribus s. non bene graece scribentibus, cogitari quidem potest, eos vobis esse hic ibi tali locutione inusitata, qualis est λαεν, (praesertim si dissolvere significare debeat) minime autem de Librariis, a quibus tantum aberat, ut male graeca intulissent, ut potius, quae pro sollocismis habebant, corrigerent. Multa huius generis exempla collegit b. MICHAELIS. (t) Auen cum accusativo personae nunquam occurrit, saltem ponit debuissit λαεν τι ἀπό την, quod etiam SOCRATES (u) innuere videtur. Et qui factum esset, ut CYRILLVS, qui contra Nestorianos, seu tales homines pugnat, qui (secundum opinionem CYRILLI) Christum dividebant, nunquam hac voce contra eos vius sit, cum alias tamen magnum numerum aliorum vocabulorum adhibeat, quae idem significare debent. (x) Incredibile igitur plane est, eum, qui textum corrigere, aut glossam facere voluerit, non meliorem graecam locutionem adhibuisse. Dum itaque nulla ratio inveniri potest in μη ὄμοιογενεί, vnde ortum sit λαεν, certe illud quoque non pro genuina lectione habendum est.

118 Tract. crit. p. 7. seqq. multos modos descripsit, quibus varietas casu oriri potuerit, ex nullo autem horum nostra varietas concipi potest. (s) Plura quisquis hic ibi in libell. WETSTEN. in MICHAELIS Tract. crit. in eis apud ipsum BENGELIVM, MILLIVM & WETSTENIVM invenientur. (t) Lib. cit. §. 7. p. 13. & 14. (u) Hist. eccl. l.7. c.32. λαν άπο της των αδικων δούλων. (x) E. gr. in libro de recta fide ad THEONOS. Imp. p. m. 5. δicit καταδικους γαρ εἰς δυο τὴν ἑνα κρίσιν, καὶ παχεῖαν ὥσπερ δικαιούμενος την. π. τ. in libro de rect. fide ad Reginas, p. 76. διαγρ. p. 94. διαγρ., p. 141. εἴπερ εἰ διαιρέσθω εἰς δύο κρίσεις καὶ δύο τοι εἴναι, π. τ. Δ. in epist. ad NESTOR. de excommunicatione, p. m. 70. Εἴπερ δὲ μερος τιθέντες την καρ-  
γότες διδώσων καὶ τελεοῦν, p. 71. δινει μη πάλι τελούμενος εἰς δυο την είναι κρίσεις, π. τ. Δ. & paulo infra: δι γαρ ταῦτα λεγον διαιτουμενοι πάλι εἰς δύο την κρίσεις, π. τ. Δ.

## §. XIV.

Audienda vero etiam sunt argumenta quae pro lectione *λυει* pugnant. E libris hoc pertinent ista παλαια αντιγραφα, quae commemorat SOCRATES (loc. cit.), porro Verlio vulgata & forsitan etiam vetus itala, lectiones *Velefianae* (y), e Patribus IRENAEVS & ORIGENES, græci, TERTULLIANVS & complures alii latini. Ex observationibus grammaticis hoc referri possunt tam ratio ista critica, quam fere omnes agnoscunt, difficiliorem lectionem faciliori praferendam esse, quam coniectura, illud μη εισχογει insertum esse ex praecedente versiculo 2, & ex 2 Ioh. 7. Ad singula haec momenta pauca respondebimus. Primum ista αντιγραφα a SOCRATE commémorata, respectu eius, tanquam scriptoris sec. V. satis antiqua esse poterant, attamen hac lectionis varietate iūmora; deinde etiam admodum vase ea allegat; nec diserte dicit, num ipse ista viderit; denique, eadem de iis valent, quae (§. 10.) de codicibus monuimus. Nec latina versio, totum negotium confidere potest, cum tot contra se habeat testimonia, idemque experta si cum reliquis versionibus, nempe quod non solum saepe interpolata sit, sed quod etiam saepe eius interpres false legerit, adeoque etiam false interpretatus sit. Illud probant verba quae Marc. XVI. 14. in quibusdam codicibus latinis teste HIERONYMO legebantur, & alia; hoc Hebr. VI. 4. & loca plura. Lectiones autem *Velefianae* plane nullam merentur fidem. Nisi de eo inter omnes convenerit, pluribus exemplis demonstrare possemus, eas mere ex Vulgata fictas arque compositas esse. In IRENAEO invenimus quidem lectionem *λυει*, sed in Interpretate latino tantum exstet; ideoque dici vix potest, an ipse IRENAEVS ita legerit, an Interpres secundum vulgatam sic scripsit? Hoc quidem inde coniucere licet, quia etiam CYRILLI interpres, ubi in illo exstet μη εισχογει, interpretatus est, qui s̄olvit. Simili modo hoc dictum in ORIGENE græco non legitur, tamen ex contextu colligitur, ipsum ORIGENEM ita legisse. Interim de eo ita disserit WETSTENIUS (z); „non omnes ORIGENIS lectiones probare possum; non enim nefcio, illum virum ex coniectura, sed nisi fallor, (vt perumque sit) infeliei & non necessaria in N. T. non pauca immutasse; quae emendationes tum a Librariis, tum ab HIERONYMO in versione latina, partim receptae,

C 3

,par-

(y) Apud GERH. V. MASTRICHT, quae quidem habent καταλυει attamen hoc referri possunt. (z) Proleg. p. 177.

„partim neglectae sunt.“ **E**T **M**ILLIUS (aa), „Opera inquit, eius, fere pef-  
ſima fide tradita funt; REVENIVS enim, cuius funt latina pene omnia quae  
habemus, vltro facetur, se in Origenianis summa licentia fuſſe graffas-  
sum, addidisse ac reſecuisse pro lubitu. Definiri igitur nequit, num in  
ipſo ORIGENE haec lectione exſtiterit: & ſi vel maxime exiſtit, exinde non  
ſequitur,  $\lambda\nu\varepsilon$  esse veram lectionem. **N**ec TERTULLIANVS eius rei fi-  
dem nobis facit, vtpore qui ambas lectiones coniungit. Denique, ex  
omnibus his quidem efficitur, lectionem hanc eſſe ſar antiquam, non  
item, eam quoque eſſe veram. Ad iuniores autem Patres latinos multo  
minus in hoc negotio attendi potest, quoniam vſus illorum criticus non  
magni faciendus eſt. Vſi enim fūt fere omnes vulgata versione; illo-  
rum itaque testimonium cum haec ſimil sumtum vnicum tantum conſti-  
tuuit. Canon autem criticus, difficultorem lectionem praefarendam eſſe faciliori,  
quoniam ob difficultates, quibus, vti omnes caeteri, laborat, non  
reſiendus ſit, (viam enim ſaepe ad inveniendam veram lectionem ape-  
rit,) hoc loco tamen nihil aliud efficit, quam, quod non negamus,  $\lambda\nu\varepsilon$   
præſtare  $\tau\omega \mu\nu \acute{\epsilon}\mu\delta\lambda\omega\gamma\iota$ , ſi nulla alia ratio allegari poſſit, vnde utraque  
lectione nata ſit. Idem de iſta coniectura valet,  $\mu\nu \acute{\epsilon}\mu\delta\lambda\omega\gamma\iota$  insertum eſſe  
ex praecedente vers. 2, & 2 Ioh. 7.

## §. XV.

Supereft, vt ea indicemus momenta, quae lectioni  $\lambda\nu\varepsilon$  adverſantur.  
Si lectione quaedam insolens & inuifitata defendi debet, contra alias haud le-  
ves rationes in contrarium adferendas, idonea argumenta addeſſe debent ad  
eam tuendam. At vero iſta argumenta, quae pro  $\lambda\nu\varepsilon$  allegari poſſunt;  
non ſatis idonea atque aperte militi videntur, ad confirmandum illud contra  
Codd. aliaque haud infirma argumenta; nec multos eſſe putto, qui id fi-  
bi perſuadeant. Deinde moneri poſtſet; plane inuifitatum eſſe  $\lambda\nu\varepsilon$  cum  
Accusatiuo personae coniunctum, nec vſum huius generis exemplum ex-  
flare in N. T. quoniam cum Accusatiuo rei ſaepius occurrat; ſed fa-  
tendum etiam eſt, huic argumento haud magnam tribuendam eſſe autori-  
tatem, quia ſaepius in N. T. male graecae locutiones & conſtructions ob-  
viae ſunt. Sed quod maximum eſt, vix credere poſſimus,  $\lambda\nu\varepsilon$  excidiſ-  
ſe e. rot Codicibus & Versionibus, ſi vera lectione eſſet; conſtat enim in-  
ter omnes,  $\mu\nu \acute{\epsilon}\mu\delta\lambda\omega\gamma\iota$  non ex errore aut negligentia ori potuiffe ex-

(aa) Proleg. p. 64.

λνει, consilio potius substitutum esse debuisset, ad explicandam duriorrem locutionem λνει τον ἵνας. Sed iam supra (§. 12.) dictum est, librarios in tali casu lectionem textus non facile omisisse; in hac re enim valde religiosi erant, & potius codicem suum plenorem reddere, quam ex eo aliquid omittere cupiebant. Saltē, si aliquid consilio omiserunt, quod rarissime accidit, id factum est, quia sententia quam expungebant, haereticis favere, & minus orthodoxa videbatur; hoc autem de lectione λνει non valet, quae potius apta quam maxime erat, ad refutandos illius aevi haereticos. Plane igitur credi nequit, eos tam egregiam contra Docetas & postea Nestorianos, sententiam omisisse, & loco eius μη ἐμάλοντος substituisse. Si enim hoc, ut intellectu facilius, explicacionis causa inseruerint, fine dubio hac ratione verba collocaſſent; παν πνευμα ελνει τον ἵνας, μη ἐμάλοντος &c. aut similiter, vt Marc. XII. 23, & Luc. II. 6. fecerunt. Denique, ex nostra coniectura, mox proponenda, facile comprehendendi potest, unde tam λνει, quam μη ἐμάλοντος ortum sit: quae omnia suspicionem augent, λνει non esse genuinam lectionem. Si quis interim his argumentis hoc sibi persuaderi non patiatur, atque nihilominus λνει pro vera lectione habere velit, non pertinaciter quidem resistemus, nobis vero etiam liceat, illud pro probabiliiori habere, quod nobis ita videtur, donec idoneis argumentis de contrario persuadeamur.

## §. XVI.

Cum tot difficultatibus vtramque lectionem laborare videamus, tenetabimus novam viam, quae apta & idonea videri possit, ad illustrandum, vnde vtraque lectio sit orta. Si illa in mentem revocamus, quae iterata vice iam diximus, Librarios haud facile textum ita mutasse, ut vnam lectionem (nempe textus) plane omitterent, contra autem, eos saepe aliquid addidisse, tunc omni carebit dubio, opus esse, ut priusquam ex duabus V. L. quarum vna ex altera nasci non potuit, vnam consilio mutatam esse statuanus, inquiratur, anne talis lectio fuerit primaeva, ex qua vel vtraque V. L. per additionem, vel vtraque casu, vel vna quidem casu, altera ex additione nasci potuerit? Iam vero ex his, quos possibiliter diximus, casibus, duo faciliter removentur. Vtraque (bb) le-

Etio

(bb) Vna quidem sed non vtraque. Ambiguitas quedam est in voce *vtraque*. Dicere volo, nicht beyde, die eine sowohl als die andere können &c. non autem, beyde können nicht &c.

Eio enim non ex additione ortum trahere potuit. Nullus foret sensus, si a Codd. illis, qui olim λνει habuerunt, hoc vel aliud Verbum plane abfuisser. Primum igitur id certum est, λνει non ex additione ortum duxisse. Sed nec viraque casu oriri potuit. Supra enim iam dictum est, (§. 13.) si omnes percurramus modos, a. b. c. & MICHAELIS allegatos, quibus lectio quaedam ex altera casu oriri potuit, tamen in iis ne vicum quidem inveniri, ex quo comprehendendi queat, quomodo μη ἐμολογει ex λνει nasci potuerit. Hinc itaque porro colligitur, μη ἐμολογει non casu ortum esse. Tertius igitur modus iam solus supereft, anne talis lectio primaeva fuerit, ex qua vna harum lectionum, & quidem λνει, casu, altera, scilicet μη ἐμολογει, ex additione orta sit. Sic rem se habere deprehendimus, si nostra coniectura valeat, quae haec est, nullum primitus adfuisse verbum, sed potius ita scriptum fuisse: νοι πνευ (πνευμα) ὁ μη, ἐν ταις Θεοῖς ἐστι. Hoc modo vtriusque lectionis origo concipi potest. Scilicet librarius prisca temporibus pro μη legit λνει, siveque haec lectio casu orta est; alter volebat id supplere, quod per ellipsis omissum, & ex praecedentibus subintelligendum erat, adeoque scriptis ὁ μη ἐμολογει τοις Ἰησού κ. τ. λ sieque haec lectio ex additione ortum suum traxit.

## §. XVII.

Quae ad muniendam hanc coniecturam facere possint, statim adiungamus. Primum igitur tenendum est, μη & λνει litteris vncialibus scriptum *MH* & *ΛΥΕΙ* facile inter se permutari potuisse; haec literae enim non semper satis distincte pingebantur. Similitudo inter το λ & priorem partem ται μ, in aprico est, provti etiam inter το η & ει; alteram autem ται μ partem librario uisam esse putamus. Et ne vana haec videatur coniectura, quod ad harum literarum similitudinem pertinet, haec pauca adiungamus; H, habebat in libris Mſcr. veteribus medianam lineam tenuissimam, testibus MONTFAVCONIO, MILLIO aliisque; media linea ται ε saepe paulo longius producta erat, hinc saepissime η & ει permutatum est. Innumera huius generis exstant exempla, ex quibus pauca adduxisse sufficiat. Ex gr. 2 Cor. XII. 1. legitur in quibusdam Codd. dei pro δη, Iac. I. 2. περπεσετε pro περιπεσετε, Eph. II. 21. αὐξη pro αὐξει, Matth. II. 6. ποιηση pro ποιησει. I Joh. III. 17. ter occurrit ει pro η in εχει, Σεωει, ιλειτε, Matth. IV. 9. προσκυνησι pro προσκυνησι, c. V.

29.

29. 30. σιανδαλίζη pro σιανδαλίζει. Exempla forte etiam non deessent, vbi prior τε μ pars cum λ mutata sit, at otium nobis non est, percurre-re totum N. T. *Millianum & Wetsteinum*, vnde satis multa peri possent exempla: sufficiat igitur indicasse manifestam illam similitudinem, simulque adduxisse exempla, in quibus aliae literae quodammodo sibi invicem similes inter se permutatae sunt. Quod enim illis accidit, idem etiam his accidere potuit. Illius generis autem est, quod ε & σ permutantur, vt I Joh. II. 28. pro ἔχωμεν legunt *Cov.* 3. 4. & *Col.* χωμεν. Porro δ & λ, vt 2 Joh. 13. ἐδεκτης pro ἐλεκτης; μ & π, σ & θ, vt 3 Joh. 5. μιθον *Barb.* 1. pro πισον; λ & π, vt Matth. IX. 5. ἐμελωτερον pro ἐποτατερον; ν & ζ, vt Matth. XXIII. 26. ἑτερον pro ἑτοτερον; π & γ, π & τ, Eph. IV. 19. ἀπηλ-πητοτες pro ἀπηληγητοτες, Iud. 12. ἀγεταις pro ἀπαταις. Immo in singulis fere N. T. paginis tales mutationes invenimus, vbi librarii ex negligencia erraverunt, & vnam literam loco alterius posuerunt. Etiam v frequentissime cum aliis literis permutatum est. Sic saepissime occurrit ὥμον pro ἥμων, ὥραι pro ἥμεις & vice versa, quod etiam notat iam saepe laudatus *MICHAELIS.* (cc) Sic legunt nonnulli Matth. XI. 2. δια των με-θητων pro δια των μαθητων. Ita quoque ug pro χ. Sic I Joh. IV. 17. in aethiop. legitur εὐχαριστην pro ἔχωμεν. Eodem igitur iure v cum altera parte τε μ permutari potuit. Hac ratione λυει venit in textum; cum autem talis error forsitan tantum acciderit librario, cuius codex deinde a paucis aliis descriptus est, hinc factum, vt haec lectio paucorum modo fuerit, nec amplius, quantum scimus, superfit in Codicibus.

## §. XVIII.

Vt vero prima origo lectionis receptas μη ὄφελογει facilius perspicia-tur, monendum est, primos Ecclesiae doctores, qui simpliciter legerunt μη, vti exstabat, sensim sensimque explanationem addidisse. Presbyteri enim, aliqui qui praelegendo exponebant textum sacrum, non aliter expo-nere poterant hanc lectionem, nisi repeterent ex commate praeced. aut vnam vel alteram vocem, vt ὄφελογει την Ἰησην, την Χριστον, aut totam propositionem. Auditores autem, quibus erant codices, notabant in margine illustrations & explicaciones doctorum suorum, sive lectione ista venit in textum. (dd) Verosimile est, primo eos addidisse tantum ὄφελογει, postea

D

vo-

(cc) *Tract. crit.* §. 5. p. 9. (dd) S. V. *SEMLERT* hermenevt. Vorbericht III. Stück, I. Abth. p. 21. & 22.

vocem Ἰησοῦ, porro articulum τοῦ, deinde vocem Χριστοῦ, denique totam propositionem Χριστοῦ εἰς σαρκα ἀγνόθωτα. Praesertim illis in promptu erat addere voces Ἰησοῦ, Χριστοῦ, & similia, ut exemplo Eph. II. 20. probatur, vbi post ἀυτές quidam modo Χριστοῦ, alii Ἰησοῦ Χριστοῦ, alii Χριστοῦ Ἰησοῦ, τε καὶ οὐκ ἡμεριδεῖ. Sed alibi etiam multa exempla obvia sunt, unde colligitur, explicaciones doctorum successive in texum venisse. Sic Rom. VIII. 1. primo additum esse videatur μη πάντα σαρκα περιπατεῖν, seu descriptio eorum qui in Christo Iesu sunt, deinde prionior aliis videbatur esse sensus si oppositum adiungereatur, inde legimus ἀλλα πάντα πνεύμα. Sic quoque Marc. III. 5. illustrando sensui aptum esse visum est si post ἀποκατεστῶται ἡ χεὶς ἀυτες adderetur ὅμης, aliis rem adhuc magis illustrare voluit, subiungendo οὐς η̄ αἴτην, aliis magnitudinem miraculi efferre voluit, addendo ἐνθεως, vti in Cantabrigiensis legitur, deinde omnia ista in texum delata sunt. Simili ratione Ioh. V. 4. quidam illustrare voluit, quo modo aquae in balneo Bethesda motae fuerint, & en, totam rei historiam habemus in nostro texu. Haec igitur cogitanti num a vero alienum videbatur, verba ista ἐμολογεῖ π. τ. λ. quae, dum omnino subintelligi debent, facile cuivis in mentem veniunt, esse revera meram interpretationem, quae in texu non exstiterit?

## §. XIX.

Lectionem, seu potius conjecturam nostram, probabilem reddit magna illa varietas, quam in hoc dicto observari supra indicavimus (§. 2.). Haec enim quam maxime additamenta & mutations arguit. Cum enim neque ex ἐμολογεῖ, λατε, neque ex λατε, ἐμολογεῖ concipi possit, omnino ex hoc colligitur, nullum horum adfuisse, sed potius solum μη, vti antea (§. 16.) significavimus, sine illo verbo lectum suffisse. Accedit, quod maiorem adhuc persuadendi vim habet, μη non solum, sed etiam ἐν, saepius sine illo verbo occurrit, vbi hoc ex praecedentibus subintelligi potest. Exempla tum apud IOHANNEM, tum apud alios Scriptores facros, imo apud Scriptores profanos existant. Vide Ioh. XIII, 9. vbi Petrus ait, μη τες πόδας μονον, scil. μήτης; quod ex praecedente intelligi poterat; c. XVIII. 40. clamant Iudei μη τετοι, sine addito verbo ἀποκατεστῶν. Ita quoque Gal. II. 16. ἐν fine verbo occurrit; similiter res se habet Matth. VI. 30. VII. 29. IX. 13. i Ioh. II. 2. III. 12. Simillimae in ΧΕΝΟΦΟΝΤΕ inveniuntur constructiones, vt σὺν τοις ἐργάζομενοι ἔνειν  
vobis

rep̄ḡentes, εἰ τούτοις μη ὅρθως η. τ. λ. (ee), aut alio loco, ταῦτα δὲ νάνα  
ἢ, quod refert seū ad praecedentem orationem. In primis autem hue fa-  
cit ista locutio, Θεοῖς δὲ τε τοιοῖς, οὐχ δὲ μη. (ff) &c. Nec in aliis  
scriptoribus similis oratio deest. Convenit etiam cum hoc loquendi modo  
Latinorum fin minus, & Graecorum εἴναι μη, quo videntur scriptores omnes  
sine apposito verbo, quod semper ex praecedente oratione cognoscitur.  
Senius igitur in nostro quoque dicto, assumta vel maxime conjectura no-  
stra, integer manet, idemque qui ex lectione recepta fluit; ne minimum  
quidem illi vel additur, vel subtrahitur, licet omnes voces ab ἐρωτοῖς vs-  
que ad ἐληγμοῖς desint. Et hoc quidem hanc parum contrulerit ad eam  
commendandam; saltem eo efficitur, eam execusatione non magnopere in-  
digere; effata enim Spiritus S. sensu continentur, non multitudine verbo-  
rum aut literarum.

## §. XX.

Quod denique conjecturae nostrae maiorem fidem apud eos, qui ar-  
tis criticae periti sunt, conciliare poterit, sequentibus absolvitur momen-  
tis. Primo in iudicio atque delectu variarum lectionum, modo caetera sint  
paria, ea semper eligenda est, ex qua apissime reliqua oriri, atque iam  
exortae concipi possunt. Acquitatem huius canonis quisquis perficit. Sic  
Iud. 12. inter tres variantes lectiones ἀρταῖος, ἀπταῖος, & ἐνωχαῖος prior  
eligitur, quia ex illa tam scribendi error in una, quam interpretationis  
ratio in altera cernitur. Sicque Act. V. 36. inter πεσεκταῖον, πεσεκλη-  
δη, & πεσετεδην praeferimus πεσεκληδην; eodem iure etiam nostra con-  
jectura praeferatur. Deinde, cuivis Christiano, qui potest, suo ingenio &  
conjectura vii licet, vbi alia via ad genuinam lectionem pervenienti non  
datur; quanquam non desint, qui hanc libertatem vehementer impugnant.  
Teneendum igitur est; 1) frequentissime Codd. omnes qui emendandis le-  
ctionibus hucusque adhibiti sunt, saltem plerosque eorum, conspirare in uno  
eodemque errore, quod pauci ignorant; hi autem Codd. minimam eo-  
rum qui adhuc supersunt, partem constituant. Iam, cum existimandum  
sit, in uno altero eorum qui nondum inspecti sunt, hunc errorem forte non  
extare, quomodo is, qui eos adire nequit, scire potest, quid aut a pri-  
ma manu scriptum, aut postea immutatum sit, nisi ex ingenio, conjectu-

D 2

ra,

(ee) Memorabil. Socratis, p. 20. edit. ERNEST. vbi bis occurrit haec constructio.  
(ff) p. 22. eiusd. libr.

ra, & regulis criticis? Ponamus casum, de quo dubitari nequit. Sumamus, nos carere codice *Cantabrigiensi*, nonne tunc ista loca, in quibus hic solus veram & genuinam amplectetur lectionem, v. c. Marc. XIV, 25. Luc. III, 36. & alibi, ex coniectura & ingenio emendanda essent, quies in textu adest ratio, cur & quomodo emendetur? aut num falsam lectionem retinere, quam emendare praefat? Omnino conicere licuit, antequam cod. *Cant.* inspectus esset, *Kaiwv* non esse lectionem textus, quidni idem nobis licet? Immo exemplum huius codicis, utpote qui saepe omnibus caeteris, immo & versionibus, contradicit, spem facit, fieri posse, vt etiam aliquando codex inveniatur, cuius textus cum nostra coniectura congruat. 2) omnia subsidia critica adhibenda esse, vt textus sacer integritati restituatur; ad haec autem referri debere etiam istud subsidium quod ab ingenio & coniectura desumitur. 3) idem de libris S. valere, quod de auctoribus quos classicos dicunt, valet, immo maius adhuc studium illis deberi. Cum igitur felici successu hi ex coniectura emendati sint, immo invitis omnibus Mscr. tamen probatae sint viris doctis huius generis emendationes, quidni idem modesto, Critics vsu, in libris sacris feret? Demonstrent qui hoc admittere nolunt, fieri non potuisse, vt in editiones N. T. aliquod mendum irreperet, quod ope Codicum Mscr. tolli non possit. 4) Omni tempore doctores ecclesiae, Interpretes & Critics si res ita ferebat, vios esse ingenio suo & coniectura. Sic fecerunt ORIGENES, HIERONYMVS, & alii Patres; sic fecerunt ipsi librarii, & qui textum graecum in aliam linguam transferebant, compendiis scribendi eo perduci. Sic v. c. scriebabant ἀνάλογα pro ἀνάλογοις, aut contra ἀντολογίσουσεν pro ἀντολέσεν. Sic fecerunt fere omnes recentiores interpres, & editores, si contra Codd., ex ingenio aliquid emendandum esse iudicarunt. In ipso hoc loco nostro pro ὁ ἀνηκότερος cupiunt H. STEPHANVS, & IOH. PRICAEVS ex coniectura legere ὁ ἀνηκότερος, quidni idem nobis licet? 5) Hoc denique addimus, nunquam coniectura vtendum esse, nisi in textu ipso adsit ratio; haec vero in nostra causa adest. Scimus similitudinem literarum inter μη & λωει; scimus librarios saepe sita errasse, vt litteras similes commutaverint; scimus, eos saepe addidisse aliquid, vbi phrasis quedam illis non satis perspicua videbatur, aut vbi interpretatione in margine aderat; scimus denique, talem errorem saepe vel in omnes, vel in plerosque Codd. pervenisse. Cur itaque non coniectura vbi opus fuerit, vitamur?

Re-

Repugnat quidem fortiter Celeb. MICHAELIS (gg) sed quanquam ex illis quae praecipit, summa & laudabilis cl. viri modestia cognosci posse, minus tamen recta, & non omnino probanda videntur. „Malleum virique, inquit, sicuti in recepta codicum & versionum lectione insuperabilis difficultas esse videretur, meam profiteri ignorantiam, textum vero vteriori reservare disquisitioni, quam proprio, iudicio dicam an ausu? aliquid immutare: in primis cum mihi & aliis sacrarum literarum cupidis & piis scrutatoribus non semel vsu evenerit, vt haec vel illa in sacris libris lectio aliquamdiu suspecta visa fuerit, quam tamen sibi constare, & rectam esse, cum temporis progressu cognovimus. Vt nam igitur VITRINGA eo non adductus esset, vt numerum Act. XIII. „20. — praecipiit iudicio, quasi glossema aliquod proscriptisset! „ Sed his armis, si recte judicamus, illi tantum pertuntr, qui inconsulto & temerario studio ipsum Textum mutant, non qui modeste dubitant, aut mutationem suadent. Alias enim, si quilibet *to ēπεξεν* eligere, & textum vteriori disquisitioni reservare veller, nunquam emendarum textum habemus. Dum ipsi mutamus, nulli legem praescribimus, vtatur quilibet iudicio suo, si nostram mutationem minus rectam deprehenderit, reiciat, sive minus, approbet. Si coniicjendo erramus, error non est capitalis, si omnia fecerimus quae facere potuimus; immo ipse error, si a nobis ipsis secundis curis, aut ab aliis deprehenditur, vtilitate non caret; docet enim tam nos quam alios, cavere sibi in posterum a simili errore, immo detegere fontes & causas errorum. Certe, si errorem cognoverimus, lactandi potius caussam praebet, quod nunc meliori gaudemus cognitione, quam tristitiae, quod olim erraverimus praeter voluntatem. Non video igitur, quare vir celeberrim. caussam non decernendi hoc faciat, quod saepe quidam postea viderit, se errasse. Dum nos hic ibi conjectura vtentes, aliquid definitius, faltem conjectura nostra aliis, quibus melior & probatior est cognitio, occasionem praeberimus, vterius progrediendi, & aut detegendi errorem, aut melius inveniendi veritatem, quo forsan alias non perduci essent. Hic sane fructus satis egregius est: valde lactaremur de eo, & ingenue profiteremur nos errasse, si meliora edoceri contigeret. Nec video, cur tam vehementer doleat, VITRINGAM Act. XIII. 20. ex conjectura mutare voluisse: quale enim damnum nobis conjectura illius attulit?

D 3

Re.

(gg) Tract. crit. de var. lect. N. T. §. II. p. 18. sq.

Reliqua fere redeunt. *Primo*, breviorem lectionem praeferendam esse ampliori atque prolixiori. Hic canon omnino iustus, rationem suam petit a multis istis additamentis quae fere vbiique reperiuntur; qua de causa etiam WETSTENIUS eo usus est. (hh) Vero enim semper proprius accedit, quemlibet ampliorem sententiam descripsisse, quam breviorem. *Deinde* etiam merito hoc refertur WETSTENII canon VII; nempe planiorem sententiam nullo modo alteri esse praeferendam, sed contra potius. Quilibet autem ultra cernit, lectionem in nostro loco multo planiorem esse, si omnia ista additamenta adsum, quam si tollantur. Confirmantur ista verbis BENGELII. (ii) „Vbi altera inquit (lectio) magis, „altera minus facilis est, ea, quae quiddam priscum, grave, breve habet, praeponitur; ea, quae maiori perspicuitate & plenitudine blandi- „ditur, tanquam consilio introducta, plerunque postponitur. — Hoc lo- „co semel dicendum est, quod millies dictum putari debet: quisquis eo „fensu est, ut planiora ac pleniora omnia pro genuinis habeat, is se „aptum natum esse sciat, ad omnes fere deteriores lectiones, quae a „voluntate humana quidem sunt, sanctis dei hominibus tribuendas.“ Haec BENGELIVS. Nec multos esse puto, qui ab eo hac in re dis- sentiant. Idem confirmat & exemplis illustrat S. V. ERNESTI. (kk)

Porro pro nostra conjectura pugnat WETSTENII Canon VIII, qui hic est: „Lectio exhibens locutionem minus usitatam, sed aliqui sub- „iectae materiae convenientem, praeferenda est alteri, quae, cum aequo „conveniens sit, tamen phrasu habet minus insolenteri, usque magis tri- „tam.“ Idem de hoc valet, quod iam saepius monuimus, multo probabilius esse, librarios & editores codicum locutionem satis tritam & co- gnitam elegisse, quam alteram quae non aequo recepta erat. Minus fre- quenter autem occurrit elliptica oratio, quam nostra conjectura exhibet, quam quae pleniori dicendi genere expressa est. Denique huc etiam referri potest WETSTENII canon X, qui ita praecepit: „Vbi ex duabus „variantibus lectionibus una totidem iisdemque verbis exprimitur, atque „in alio scripturas loco eadem sententia expressa legitur, altera vero di- „scrpantibus, illa huic nequaquam praeferenda est.“ Nempe, si codi- cum descriptores etiam revera viderint codd. in quibus lectio huius loci ita exhibebatur, uti nos coniicimus, malebant tamen potius ita describere,

(hh) Lib. WETST. p. 62. Can. IX. (ii) Introd. in Crisim N. T. §. XX.

(kk) Inst. interp. N. T. P. II. c. VI. §. 25. p. 144.

re, ut nunc legitur, quia hoc magis conveniebat cum comitate praeced. dum eadem aderant verba, modo cum negatione. Caeterum nulla fere observatio grammatica, nullus canon criticus contra nos eadem cum veritatis specie adhiberi potest.

## §. XXI.

Nollem vero, nobis obici, in nullo Codicium quos nouimus, nec in illa Versione textum ita legi, vt nostra fert conjectura. Cuilibet enim rei perito notum est, mutationes quasdam iam a primo inde tempore, immo ante ORIGENIS & IRENAEI aevum, factas esse. Hinc  $\lambda\omega\sigma$  in quodam ex primis  $\alpha\pi\text{ο}\gamma\mu\text{α}\rho\text{ω}\text{σ}$  locum inuenire poterat, & cum iam Sec. II. & III. incepérunt Librarii addere & explicare, anne probabile est, additum, quod cuilibet in mente venire poterat, quale est  $\delta\mu\lambda\omega\tau\epsilon\iota\eta\mu\text{η}$ . t.  $\lambda$ . iam primis temporibus Textrii illatum esse? Mox etiam invauit consuetudo, eos potissimum codices describere, qui pleniorē lectionem exhibebant; hinc, si etiam adhuc Sec. II. III. & IV. codd. extiterint, qui breviorem lectionem secundum nostram coniecturam exhiberent, parim contenti sunt ob prolixitas studium, & quia lectio cum additamento iam fuit lectio in ecclesia recepta, parim etiam posteriori manu correcti sunt, vt congruerent cum lectione ecclesiastica. Hinc lectio hodie recepta, quia erat plurimorum codicum, & in ecclesia usitata, in omnes superiores codd. pervenit; &, si forsan ex antiquis adhuc unum aut alterum exemplar extiterit, quod hoc additamento caruit, successu temporis periit. (forsan etiam hic ibi adhuc latet.) Id sane negari nequit, multas lectiones variantes iam perius; quidni etiam interdum, vt in nostro loco, genuina lectio? Luculenta huius rei exempla arque indicia adfunt. Nonne I Cor. I. 15. in omnibus codicibus exstat verbum  $\beta\alpha\tau\tau\iota\zeta\sigma\epsilon\eta\text{η}$ ? & tamen videtur illud non a Paulo scriptum suisse, quia alias nulla foret ratio, cur tam varie exhibeatur. Sic itaque hic genuina lectio omnino periusset. Hic locus prae ceteris quam maxime aptus vifus est, ad illustrandum nostrum locum, nam hic itidem verbum subintelligi debebat ex praecedentibus, quod interpretationis loco additum est, sicut in nostro loco, & brevior genuina lectio amplius non exstat. Sic Luc. VI. 10. in omnibus codicibus & versionibus additur ὁ de ἐποιησεν ἡτο, ὁ de ἔξετεν aut, νοι ἔξετεν, facta, vt puto, authenticae lectionis iactura. Similiter Eph. II. 13. in omnibus codicibus exstat ἐν Χριστῷ Ἰησού, Luc. XIII. 17. in-

in omnibus praeter *Cantabrigensem rōvrā*, quis igitur negare potest potuisse accidere, ut eadem ratione in nostro loco vbi vis perierit genuina lectio? Intelligimus enim ex 1 Cor. I. 15. librarios lubenter supplevisse verbum aliquod, quod subintelligendum erat. Accedit denique, quod non multi animadvertunt, iam prīcis temporibus invaluisse duplēcē aut triplēcē recensionem: cuius praecipue in epistolis *JOHANNIS* luculenta invenio vestigia. Et huius quidem varietatis rationem dari possit, existimo, si statuamus, in quibusdam provinciis versionem aliquam, sive latina, sive alia fuerit, iterum in graecum sermonem translatam fuisse. Alia ratione ista varietas, qua synonima, tum verba, tum nomina, tum praepositio-nes, variaque Verborum tempora aequivoqua pro se invicem ponuntur, vix concipi potest. Glossemata esse nequeunt. Quis enim παῦδιο per τενίσια, παρ' ἀντία per ἀντία illustrare veller? Brevitatis causa ex tota sylva quam collegi, quaedam tantum exempla addicim. Sic invenimus απάτονες pro πλανακεῖν, ποιῶν την ἐντόλην, pro την τ. ε. παῦδια pro τεκνοῖς, εὐν̄ pro ἑταῖροι, τερενεῖ, pro ἔθηκε, ἀντί ἀντία pro παρ' ἀντία, plus simplici vice, ἀδωκεῖν pro δέδωκεν & vice versa, (ergo non ex la-psi oculi) βαζεκεῖν pro θέλω &c. Iam, si ex versione facta est quaedam recensio, comprehendendi potest, vnde haec synonima orta sint: nempe, quia transla-tor neciebat, quomodo in texu authentico legeretur, posuit verbum quod latine aut alii responderet. Nostra itaque lectio oriri potuit ex alia diversa recensione, facta ex versione quadam, in qua verbum subintelligendum ὄμολογοι non bene omitti poterat, sed exprimi oportebat. Ut vt sit, ex iis quae diximus, patet, ex eo, quod lectio quaedam auctoritate codicium destituitur, non firmum validumque argumentum contra eam deduci posse. Hoc denique adicimus, ex nostra coniectura facilis us apparere, vocem *Insev.*, cuius (§. 3.) mentionem fecimus, additam esse; non abesse enim poterat, si λύει legeretur, nec bene, si ὄμολογοι. Reliqua iam pluribus supra excussa sunt.

### §. XXII.

Occasione ita ferente, forsitan non ingratum erit, si appendicis instar, vel etiam disputandi causa, adicimus propositiones quasdam, confessiorum modo qua maximam partem ex ipso nostro loco deductas, aeoquo nostro eto magis convenientes, quo minus rari sunt hic ibi, qui omnes eos Antichristos esse sentent, qui non nobiscum sentiant. Potissimum autem haec sunt:

I) The-

I) Thesis ista, quod IESVS ille, cuius vitam & doctrinam Evangelistarum & Apostoli descripsere, sit verus a Deo promissus MESSIAS, est fundamentum totius religionis christianaæ.

Nam qui de ea non persuasus est, etiam vitam moresque suos secundum praecepta Christi non instituit, adeoque non est Christianus. Canon iste autem simul includit, confessionem oralem non sufficere, sed vivam cognitionem & firmam persuasionem adesse debere, ex qua demum sequitur propositum, instituendi vitam ita, ut Christus praecepit atque voluit. Sine hac vita morali atque evangelica nemo Christianus esse potest, quanquam illud nullus ore suo mechanicus repeatat; id enim etiam psittacus, immo machina mortua, articulatis membris prædicta & ita adaptata potest, nec hoc confessionis verae nomen meretur, quae semper ex vivo perlungione oritur.

II) Hicce articulus Christiano ad salutem præprimis necessarius est. A& VIII. 37.

Vt hacc thesis rite intelligatur, monendum est: a) non affirmamus Christianum non oportere reliqua fidei capita scire; ciuitatis enim officium est credere cognitione, & reddere se perfectiorem; turpissima foret negligentia, si quis non plus scire vellet, dum potest. b) Sed hoc tantum volumus, posse fieri, ut aliquis salutis iacturam non faciat qui cetera ignorat, si facultas discendi ea illi non adfuerit; posse quoque contingere, ut quis in hoc vel illo ex reliquis articulis erret, salvia salute, modo error non natus sit e finibus temporalibus, & carnalibus, seu quod idem e voluntate prava. Contra nimis temerarium, immo turpe est, damnare alium, qui saepe probior est ac nos, propterea quod veritatem theoreticanam, quam tamen probe & pie quaesivit, inventare non potuit. En quismam nos iudices constituit super alios, eorumque fidem? Christus non: nam Matth. VII. 1. seqq. alter præcepit; nec Apostoli, Paulus enim quam maxime Rom. XIV. & XV. tolerantiam urget. Negre volumus omnes seniores gentes damnare, qui probe vixerunt, atque virtuti operam dederunt, propterea quod ignorarunt Iesum esse Messiam. De his Iohannes non loquitur, aliud enim est ignorare Iesum, aliud negare.

III) Nullo idoneo arguento evinci potest, Iohannem in nostro loco intelligere totam nostram theologiam dogmaticam, vii in compendiis ponit, quando de confessione Christi, ut Messiae, loquitur.

Huius theses hic est sensus: Apostolus non refert ad res μη ἔργα γενέσεως &c. eos qui v. c. peccatum originis, imaginem divinam in Adamo,

34 DISSERT. THEOL. CRIT. DE VERA LECTIOINE I Joh. IV. 3.

mo, &c. negant, aut in articulo de Spiritu S. de Sacra coena, baptismo &c. errant, quia alias dicendum foret, hos omnes esse antichristos; quod absurdum.

IV) Nemini consequentia imputanda est, quam ipse non perspicit.

*Quando igitur nos perspicimus, v. c. posita doctrina Socinianorum Iesum non esse posse Messiam, tamen exinde concludere non possumus, Socinianos revera negare, IESVM ESSE MESSIAM; ipsi enim non perspicunt consequentiam.*

V) Arriani, Arminiani, Eutychiani, Nestoriani, Pelagiani, Pontificii &c. minime Antichristi sunt dicendi.

*Perspicuum est: omnes enim hi confitentur tecum Christum esse sacerdotem.*

VI) Quemlibet Christianum decet το δοκιμαζειν, neminem το κωτησινειν.

*Tota scriptura hoc loquitur.*

VII) Imitatio Christi, seu vita christiana, quae instituitur εν πνευματι, optima est confessio Christi. Ioh. XIII. 35. XV. 8. coll. Matth. VII. 21. seqq.

*Hic canon certe non placebit illis, qui ludant cum phras: ein socinianisches Tugendpredigen. Egregie; ergone virtus vitanda est, quia Sociniani eam praecipiunt? Sociniani quoque de existentia Dei persuasi sunt, ergone nos debemus Athei esse, ne aliquid cum Socinianis commune habeamus? Num forsitan magis beati erimus, si diuina nocturnaque manu versamus Apocalypsin, & ibi invenimus res portentosas, bellum cum Turcis, milites perpetuos, & alia, quam si virtuti christiana operam damus? Amet potius quisvis legere Evangelium & epistolas Iohannis, inde veram cognitionem christianam hauriet.*

TANTVM.

C O N S P E C T U S D I S S E R T.

Prooemium §. I. Enarratio V. L. omnium in dicto I Joh. IV. 3. §. 2. Diuidicatio earum, quae non proprie ad finem nostrum pertinent §. III. IV. Sententiae eruditorum de lect. λαοι & μη διωλεγει §. V. De antiquitate harum lectionum §. VI. VII. De bonitate earundem §. VIII. De veritate illarum §. IX. Respondetur ad argumenta pro μη διωλεγει §. X - XII. Argumentum contra μη διωλεγει §. XIII. Veritas lectionis λαοι ad examen revocatur §. XIV. XV. Proponitur nova quedam conjectura de origine harum lectionum §. XVI. Origo lectionis λαοι derivatur a similitudine literarum §. XVII. Origo lectionis μη διωλεγει illustratur ex more Presbyterorum & librariorum veterum §. XVIII. Probabilis redditur conjectura nostra a) ex consuetudine scribendi §. XIX. b) ex observationibus grammaticis, seu canonicis critici §. XX. Obiectiones remouentur §. XXI. Appendix, exhibens theses quasdam §. XXII.

HV-

HUMANISSIMO, ORNATISSIMOQUE  
STROTHIO

S. P. D.

IO. LUDOV. SCHVLZE.

**Q**uam sit egregie sperandum de illis, qui generoso quodam impetu ad literas feruntur, discant exemplo two omnes, qui nimis angustos sibi ponunt limites, & non nisi ex libellis, ad quos vulgaris censeri solet eruditioris academicae scientia, sapient. Rarius quidem hoc tempore est laudabile eorum studium, qui postquam primis sublimioris scientiae principiis imbuti sunt, ad altiora ascendere conantur: non defuerunt tamen omni tempore in hac bonarum literarum officina, nec adhuc defunt, qui eximio fervore ad interiora omnis disciplinæ adyta feruntur. His qui praeclararam de se solum faciunt, te etiam adiungi voluisse, laudo & impense laetor. Sanctioribus literis iam Gryphiswaldiac probe immuritus ad nos accessisti, nihilque praetermissisti, quod ad augendam ornandamque scientiam facere posset. Nec tui te poenitebit consilii: viam enim ingressus es, utque nullus dubito, profeceris, quae laude & fructu non caret. Mea quidem, si qua esse posset, plane non indiges commendatione. Non possum tamen, quin alacritatem dignis laudibus celebrem, qua elaborationem huius Speciminis critici in te suscepisti, cum primum tibi de tractando hoc arguento, cuius dignitatem in scholis hermeneuticis commendaveram, aperirem consilium. Quae solet esse veritatis eximia vis & efficacia, ut primo statim intuitu eorum oculos feriat, qui eruditioris sunt indolis & felicioris ingenii, eam tu quoque HUMANISSIME STROTHI, es expertus. Cum enim laeto omne acciderit, ut postquam de eruenda vera letione difficultioris, quem tractas, loci, diu multumque cogitassem, tandem, instituto cum Magnifice & Ven. SEMLERO nostro de his aliisque rebus ad amplificanda studia pertinentibus, colloquio, in novam istam, quam defendis,

❧      ❧      ❧

dis, sententiam inciderem, longa non opus fuit institutione ad commendandum  
 TIBI vel illudstrandum hoc evngnac. Post prima de disponendo hoc libello con-  
 filia tecum inita nihil fere reliquum habui, quod ad studia TVA conferrem.  
 TVVM est hoc totum, laude, ut existimo, hanc indignum Specimen, in quo  
 concinando, et si quedam aliter scripssem, si TVIS mea ingerere opus fu-  
 issit, TVAM tamen admiratus sum solertiam. TVA pariter sunt, quae Co-  
 rollariorum nomine adiungere TIBI placuit, de quibus neminem dubitaturum  
 esse existimo, quin bono a te scripta sunt animo, quem feci esse candidum  
 & recti amantem. Quod reliquum est, Deum T. O. M. precor, ut Spir-  
 tu suo & gratia ea, qua nobis in re sacra versaturis quam maxime opus  
 est, TIBI adsit, TVaque studia aliquando civitati sacrae iubeat esse salu-  
 berrima. Vale. Daham in Academia Frideriana  
 d. XIII. Octobris, MDGCLXX.



Na 32.

vd 18

ULB Halle  
005 367 468



3



DISSESSATIO TH

V E R A L  
L O C I D I F  
I O

PRA  
VIRO SVMME VENERABILI, P  
IOANNE LVDC

S. S. THEOLOGIAE NEC N  
SORE PVBLI

FAVTORE AC  
OMNIPIETATIS CVLTV A

D. XV. OCTOBRIS

PVBLICO ERVDITORV

AV

FRIDERICVS AN

TRIBESEO  
E NVMERO SENIOR

HALAE MAG  
TYPIS IOANNIS



B.I.G.